Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Caput 3tium

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

in terra quietius est et secu-
rius bonâ conscientiâ, quæ et
„ipsâ morte magis erigitur,
„quam deprimitur." S. Bern.
l. de cons. "O Conscientia
„sancta in terra adhuc es,
„et in coelis habitas. Gaude o
„anima sancta, sanctâ cons-
„cientiâ decorata. S. Aug.
serm. 10.mo ad 3 FF.

Quid vero in hac ~~terra~~ vita securius
quid iocundius possidetur bonâ
conscientiâ. Premat corpus, trahat
mundus, terreat diabolus, illa ta-
men semper secura erit. S. Bern.
l. de consc.

12

Caput 3tium
de
Conscientia erronea

Hactenus de quidditate ac
multiplici divisione conscien-
tiæ, iam in particulari de
qualibet agendum est. Cæte-
rum, "de conscientia recta nil
hic specialiter occurrit
dicendum; omnes enim faci-
lè conveniunt circa eius na-
turam ac obligationem.
Sed de Conscientia erronea
maior est difficultas, an ni-
mirũ, et quando obliget?
pro cuius resolutione, sit

Conclusio 1.ma. Agere
contra conscientiam invinci-

† in iis, quæ dictat esse præcepta, vel vetita,

biliter erroneam † peccatū est; adeoq; quilibet non tantum conscientiam rectam, sed etiam erroneam, modò invincibiliter talis sit, sequi tenetur; ita communis cum S. Thoma q. 17. de verit. a. 4. ubi sic ait: recta /: conscientia :/ ligat simpliciter et per se; erronea autem secundum quid et per accidens.

Prob. 1.mo Ex illo romanorum 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est; id est, ut supra diximus, secundum valdè communem interpretationem SS. PP. puta Origenis SS. Chrysostomi, Ambrosij, Anselmi et aliorum, quod est contra conscientiā, peccatum est; † Nec obstat, quod judicium sit erroneum; nam licet tale sit respectu obiecti materialiter sumpti, non tamen respectu obiecti formaliter accepti, et prout est in cognitione; sic enim

† seu quod in idem redit, quod non est ex dictamine conscientiæ seu ex persuasione, quod sit licitum, peccatum est

rectum est, et inculpabiles; ac proinde per accidens induit obligationem.

Prob. 2do Ex eo, quod Lege naturali obstringamur sequi ductum conscientiæ rectæ; ergo etiam invincibiliter erroneæ. Antecedens constat. Prob. cons. Invincibiliter existimamus huiusmodi conscientiam esse rectam; ac proinde eam ceu proximam morum regulam apprehendimus; ergo eius ductum sequi necesse est; non enim fas est contra proximam morum normam operari.

Conclus. 2da Non licet agere contra vel juxta conscientiam invincibiliter erroneam; est iterum communis.

Ratio 1mæ partis est, quia qui agit contra conscientiam invincibiliter erroneam, agit contra dictamen conscientiæ hic et nunc dictans, hoc vel illud esse faciendum vel omittendum: atqui nemo non videt, quod ille vitiose operetur, qui contra tale dictamen practicum agit; ergo qui operatur

4 dictante aliquid esse licitum.

contra conscientiam vincibiliter erroneam, peccat.

~~Confirm. Quia talis his et nunc judicat talem conscientiam esse sequendam, ergo si contra eam agat, seu eam non sequatur, peccat.~~

Ratio 2.dæ partis est, quia vincibilis ignorantia non excusat à peccato, ut supponimus ex tractatu de voluntario et involuntario; cuius etiam dari potest ratio; quia nimirum huiusmodi ignorantia est voluntaria; ac proinde culpabilis; ergo peccat quisquis conscientiam vincibiliter erroneam sequitur.

Confirm. ex S. Thoma hic q. 19. a. 6. in ☉ ubi sic ait: si ratio vel conscientia erret errore voluntariô.... tunc talis error non excusat, quin voluntas concordans rationi vel conscientiæ sic erranti sit mala.

Inferes, Ad hoc, ut quis operando ex conscientia vincibiliter erronea non peccet, debet priùs errorem suū deponere, et pósitô, quòd agere

velit, sibi iudicium practi-
cè certum formare. Sed
rogas forsan, quâ ratione
id fieri debeat?

Respondeo cum distinctione,
vel enim conscientia huiusmo-
di erronea concepta est irra-
tionabiliter, seu sine ulla ra-
tione, vel rationabiliter ex
motivo nempe, quòd ignoran-
tis ac errantis æstimatione
sit magni ponderis? Si prio-
ri modò: potest iterū sine
alia ratione deponi, atq; ceu
scrupulus contemni. Si posterio-
ri modò: Deponi non potest,
sine fundamento, quale est
v. g. judiciū prudentum, pra-
xis virorum timoratorum,
ratio in contrariū reddens suf-
ficienter conscientiā certā &c.,
quia alioquin temerè ac im-
prudenter deponeretur. q

Reflexio

Quemadmodum serpentes qui-
dam ~~nomine~~ inveniuntur ~~data~~ qui priùs suo
venenò hominem extinguūt
quàm sentiatur; ita sunt quædā peccata
ex conscientia vincibiliter
erronea commissa priùs mor-
tem afferunt animæ, quàm ut
oportet, advertantur. Vnde

q Quod si electio urgeat, nec possis
veritatem per te assequi, nec per
aliū, quia non adest, quem consu-
las, et sic errorē iā deponere ne-
queas, tunc ad orationem te con-
vertere oportet, ac elicito actu
contritionis de priori peccato igno-
rantiæ, poteris eam eligere partē
quam existimes minùs peccaminosā,
et sic ista electio omni culpâ va-
cabit, quippe ~~tunc~~ ~~qui~~ error, qui
antea erat ~~in~~vincibilis, modo
fiet invincibilis ac involun-
tarius, cum eius causa fuerit
retractata, atq; iam facias, quod
in te est, ut non pecces; te-
neris tamen resarcire damnum,
si forsan quoddā inde evenis-
set; nam retractatio culpæ non
facit, ut non fuerit voluntariè
posita causa damni.

huiusmodi peccata censentur omnium periculosissima, quò enim hostis est occultior, eò est periculosior; quamobrem regius Propheta pro eis ferventer deprecatur Dominum: ab occultis meis munda me psal. 18. Et ignorantias meas ne memineris psal. 24.

Eleganter S. Augustinus ~~[illegible]~~ in quodam sermone sic ait: "Illa magis sunt noxia, quæ à quibusdam non existimantur peccata: nullum enim malum facilius decipit, quàm quod non intelligitur malum esse: pessimum genus peccati est non intelligere peccata: nullus magis de peccatoribus plangi dignus est, quàm qui putat se non habere, quod plangat.

Et utinam eorum maximus non esset numerus! Quot enim sunt, qui ~~suis actibus~~ quemadmodum Paulus Ecclesiam persequendo Judæi Apostolos occidendo, obsequium se præstare Deo existimant, sed quia ignorantiæ tenebris culpabiliter obvoluti sunt,

q suâ agendi ratione

magis à Deo huiusmodi ne=
quitiæ operibus recedunt.
Oportunè D. Gregorius l. 5.
moral. c. 6. in hæc excurrit
verba: "Sæpe unde placari
Judex creditur, inde ad iras-
cendum placidus instigatur,
Salomone attestante, qui ait;
Est via quæ videtur homini
recta, et novissima illius du-
cunt ad mortem. Unde Sanc-
ti viri, cum mala superant,
sua etiam benè gesta for=
midant, ne cum bona agere
appetunt de actionis ima=
gine fallantur; ne pestifera
labes putredinis sub bona spe-
cie lateat coloris. Sciunt
enim, quia corruptionis adhuc
pondere gravati diiudicare
bona subtiliter nesciunt;
et cum ante oculos extremi
examinis regulam deducunt,
hæc ipsa in se nonnunquam
et quæ approbant metuunt,
et totâ quidem mente inter-
na desiderant; sed tamen
de incertitudine operū tre=
pidi, quò gradiuntur, igno
rant. hæc D. Greg. Quibus
Doctrina nostra eleganter
stabilita manet.

Sane, si rarò huiusmodi
ignorantiæ perpetrarentur

delicta, cur tam crebra in sacris litteris etiam à viris Deo dilectis vota audirentur atq; suspiria, quibus lumen è coelo ad cognoscendas vias rectas sollicitatur? cur tam frequens petitio veniæ pro occultis erratis identidem repeteretur?

Magnus profecto ille est, † ~~cuius conscientia hac peste minimè est infecta~~. Quisquis ille est laudet Dominum, et si grandi sit charitate, roget eum, ut nos ab hoc ~~luc~~ malo, quô irretitam meritò suspicari possumus conscientiam nostram, liberet. Imo datô, quòd nil nobis conscii essemus, non tamen in hoc justificatos ~~essemus~~ nos credere deberemus. Quis iã nostrûm dum hæc attentâ consideratione comẽditatur non expavescat, ac procidens ante thronũ judiciorum divinorum cum Propheta ad Dominum exclamet: ab occultis meis munda me psal 18. et ne intres in judicium cũ servo tuo; quia non

† qui ignorantiæ peccatis haudquaquã obvolvitur

justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. psal. 142.

Caterùm ut nos ab omni metu ac periculo immunes reddamus, sequentia bene observanda sunt. 1mo oportet, ut ea, quæ statui aut vocationi nostræ conducunt, diligenter investigemus. 2do Libros, ea, quæ sunt obligationis ac muneris nostri tractantes studiosè pervolvamus. 3tio Lectionibus sacrarum scripturarum Theologorum præsertim dogmaticorum, primo etiam mysticorum certis quibusdam temporibus insistamus. 4to denique Patrem Luminum supplici prece idem fidem rogitemus cum psalmista ingeminantes: Domine dedue me in justitia tua, dirige in conspectu tuo viam meam psal. 5. Hæc si perfecerimus, spem concipere possumus, errorem si quis forsan in animo nostro remaneret, nobis non esse voluntarium, nec proinde conscientiam nostram reddere invincibiliter erroneam, seu culpabilem.

Caput 4tum
de
Conscientia dubia

Nota, dubium aliud esse positivum, aliud negativum. Item aliud speculativum et aliud practicum. Positivum est suspensio intellectûs pro utraq; parte pares habentis rationes. Negativum est suspensio intellectûs pro neutra parte habentis rationes ad assensum sufficientes.

Dubium speculativum est quô dubitatur precise de veritate alicuius rei sine ordine ad praxin vel opus v.g. an si Adam non peccasset Christus incarnatus non fuisset? Practicum verò est, quô dubitatur de honestate seu liciditate cuiusdam actionis. Et hoc duplex est; aliud nimirum speculativè, aliud practicè